

DE DVO DECIM DOMIBVS COELI,

De secunda domo,



Ecunda domus significat substantiam, diuitias, lucrum, & victum nati, & pellectilem, auxiliatores & ministros, &c.

Primus dominus triplicitatis domus substantiae directus in suo H[ab]itaculo & in alijs suis fortitudinibus, dat nato opes multas, & quanto plus prodet in aetate, tanto plus crescit bonum eius. Si contrarium dictorum inuenieris, dic contrarium.

Si fuerit secundus dominus triplicitatis fortunatus, receptus a planeta sibi convenienti &c. natus laetabitur in suis operibus, & liberaliter distribuet omnibus adhaerentibus ei. Si in diuerso fuerit statu, dic contrarium.

Tertius dominus triplicitatis secundae domus, si fortunatus fuerit &c. natus erit fidelis, laudabitur ab omnibus propter beneficia sua, ueridicus erit, & legalis emendo & uendendo. Si fuerit infortunatus &c. dic contrarium.

Pars fortunae in domo fortune in forti loco, ab ascendentे, si aspicerit eam dominus eius existens in exaltatione sua, uel domo, & Luna recepta a domino secunda domus, natus erit diues, in alto gradu, & multi ditabuntur per eum. Si pars fortunae contrarias conditiones habuerit, existens sub radijs Solis &c. natus erit laboriosus, angustae uitae, uiuet plurimum ex suffragio aliorum. Si haec pars fuerit in domo substantiae, infortunis non aspicientibus eam, & dominus domus eius eam de bono aspicerit ex fortunato loco, libero ab infortunis, natus erit diues, & abundans sine labore. Et si dominus domus suae eam non aspicerit, sed luminaria eam, & dominum eius aspicerint, sine aspectu infortuniarum, erit fortunatus, & bonae uitae, congregabit a rege diuitias, ac ab altis, & nobilibus habentibus dominium. Et si neque dominus domus eius, nec aliquod luminare eam aspicerit, erit modicæ substantiae, & debilis uitae, de labore corporis sui uiuet. Et si cum hoc fuerit sub radijs Solis in aspectu infortuniarum, uiuet ex eleemosyna, & in ea habenda molestiam patietur.

Pars haec in nona salua, facit hominem iustum, & religiosum, non curantem mundana.

Pars fortunae in termino fortunae in aspectu domini eius de bono & fortunato loco, si infortunae non aspiciunt eam, nec dominum eius natus, per uiles modos, & in rebus uilibus lucrabitur, & lucrum bene custodiet. Si pars haec fuerit in una quarta, & dominus eius in altera, habebit fortunam a multis partibus. Si haec pars & dominus eius aut alter eorum fuerit in quarta domo, natus habebit prosperitatem in thesauris, aut custodiendo thesauros. Generaliter haec pars fortunata, aut dominus eius, significat fortunam ex rebus per domum significatis in quam cadit, aut per dominum signi in quo est. Si enim in domo Saturni fuerit, per hereditatem, & agriculturam. Si fuerit pars haec salua extra radios Solis, & dominus eius similiter natus erit sanus, & bonae nutritionis. Si infortunata sub radijs, miser, cum mala nutritione. Si dominus partis fuerit infortunatus sub radijs, multas anxietates habebit, & peius in ascidente fuerit. Pars haec cadens ab ascidente, si non aspicit luminare temporis, & dominus eius fuerit debilis, infortunatus, ac remotus ab angelis non aspiciens partem, & si dominus domus substantiae fuerit ab infortunis damnatus, uel a radijs Solis, significat quod erit pauper, nec lucrari poterit uictum complete, forte uiuet de eleemosynis. Pars haec potens, fortunata in bono loco, si aspicerint eam domini triplicitatum suarum, de bonis & fortibus locis, natus erit lucrator substantiae, diues, & potens. Et si aliqua infortuniarum de quadrato, uel opposito eam aspicerit diuersificabitur eius status, habebit uno tempore indigentiam, altero abundantiam.

Pars haec, & Almuten ascendentis, in una quarta, significant